Gymnasium zu Stralsund 1862.

EINLADUNG

zur

öffentlichen Prüfung und Redeübung

der hiesigen Zöglinge

am 2. und 3. October d. J.

von dem

Director und Lehrer-Collegium.

Inhalt: De Homero poëta Achaeo scripsit Dr. H. Schulze, Prof.
Schulnachrichten vom Director.

STRALSUND.
Druck der Königlichen Regierungs-Buchdruckerei.

PRAEFATIO.

Priusquam ipsam disputationem incipiam, pauca videntur praemittenda esse. Et primum quidem facile omnibus, qui legent, probatum iri puto, quod tantum de Iliade et Odyssea egi; haec enim carmina sola vere Homerica dici posse mihi persuasum est. Cujus rei argumenta hic non afferam. Quum autem sententiam prorsus contrariam plerisque, qui novissimis temporibus de Homero scripserunt, propositurus sim, nolim arrogantiae insimulari. Sed vere dicam, quod sentio. Nec Wolfii, nec Lachmanni, nec eorum, qui hos secuti sunt, argumentationibus adductus sum, ut iis, quae illis visa sunt, assentiar, sed quamquam multa subtiliter et acute disputaverunt, tamen rem non ab omni parte videntur satis ponderasse, et dum omne studium in eo posuerunt, ut, quod ab initio ipsis verum visum erat, demonstrarent, ea, quae his repugnant, interdum parum curaverunt. Itaque cum multa sint, cur Homerica carmina ex multis minoribus carminibus conjuncta videri possint, illi, non curantes, etiam esse, cur statim ab initio unum eorum corpus fuisse credamus, huic uni rei student, ut ea in singulas particulas dissolvant. Quamvis autem multa in iis inveniantur, quae inter se discrepent, multo tamen plura ejusmodi sunt, quae et bene inter se cohaereant et dictione simillima sint, nec a pluribus poetis proficisci, nec diversis temporibus fingi potuerint. Mihi quidem illi, quae argumentati sunt, non prius persuadebunt, quam *verisimile esse ostenderint, et plures simul poetas tam egregios in Graecia exstitisse, ut omnis posteritas admiratione eorum teneretur, et tot poetas quasi pactione facta ejusmodi res tractasse, quae tam commode in duo corpora conjungi possent, ut novissimo demum tempore male conjuncta deprehenderentur.* Quum autem, nisi res aliqua satis mihi probata sit,

non soleam aliorum hominum vel doctissimorum auctoritatem sequi, nec in hac quaestione nomina terrent, nec magnus eorum consensus[1], qui nuper de his rebus scripserunt, nec fiducia[2], qua opiniones suas protulerunt. Alia ratio ineunda mihi videtur, qua difficultates, quibus Homerica quaestio laborat, tolli possint, et dum illi, ex multis singulis carminibus Iliadem et Odysseam conjunctas esse, ostendere conantur, ego probari posse dico, ex uno fonte omnia fluxisse, postquam autem in disjunctos rivulos per aliquot saecula diffusa fuerunt, vix demum Pisistratidarum opera factum esse, ut in duo illa corpora redirent. Nec tamen operam ab illis perditam dicimus; immo pleraque, quae de mala carminum conditione investigaverunt, ejusmodi sunt, ut verius de poeta ejusque carminibus judicare liceat; sed quid minutis illis carminibus, quae invenerunt, faciant, ipsi videbunt, nobis quidem, si ea ad regulas poeticae artis examinamus, nullius videntur pretii esse. Nec verum est, omnem venustatem Homericae poeseos in singularum partium pulchritudine positam esse, immo pleraque tantum ob id ipsum animos nostros et movent et delectant, quod suum in alterutro poemate locum occupant. Caeterum nisi tempus et vires me deficient, in posterum singula attingam, nunc quid mihi de tota quaestione Homerica visum sit, proponam.

---

1) Praeter Wolfium et Lachmannum nomino Hauptium, Cauerum, Ribbeckium, Rhodium, Jacobum, Köchlyum, Kirchhoffium, Bonitzium all.

2) cf. Bonitz „Ueber den Ursprung der Homerischen Gedichte" p. 27: „Daran, dass in ursprünglicher Selbständigkeit ein Dichter, er heisse Homeros, den Sagenstoff seines Volkes zu der Dichtung Ilias gestaltet habe, denkt jetzt niemand mehr, der die Fragepunkte wirklich kennt; dass dem Urheber der Ilias ältere Einzellieder vorlagen, dass er solche in seine zusammenfassende Dichtung ohne erhebliche Aenderung aufnahm, dass die Widersprüche — oder wie man mildernd zu sagen beliebt (sic!), die Unebenheiten — die sich zeigen, eben aus dieser Aufnahme und Verknüpfung von älteren Liedern herrühren, das wird von den entschiedensten und durch ihre Leistungen bedeutendsten Wortführern der einheitlichen Composition der Ilias anerkannt."



Ὅμηρος τίνων γονέων ἢ ποίας ἐγένετο πατρίδος οὐ ῥᾴδιον ἀποφήνασθαι· οὔτε γὰρ αὐτός τι λελάληκεν, ἀλλ' οὐδὲ οἱ περὶ αὐτοῦ εἰπόντες συμπεφωνήκασιν, ἀλλ' ἐκ τοῦ μηδὲν ῥητῶς ἐμφαίνειν περὶ τούτων, τὴν ποίησιν αὐτοῦ μετὰ πολλῆς ἀδείας ἕκαστος οἷς ἠβούλετο ἐχαρίσατο.

Proclus.

Si quis animum adtenderit ad eam rationem, qua quaestio Homerica novissimis temporibus tractari soleat, is profecto nec adsiduitatem nec animi sagacitatem in iis, qui in haec studia incumbunt, desiderabit, sed viros doctos semper ea, qua opus est, judicii integritate uti negabit. Nam ex quo tempore Wolfius divino quodam ingenii acumine praeditus prolegomena sua edidit, quasi claustris apertis omnes fere, qui de Homero scripserunt, auctoritatem viri clarissimi secuti, operam suam in eo collocarunt, ut quod ille fieri potuisse significaverat, id vere factum esse demonstrarent. Notum autem est Wolfium quaestiones suas numquam ad finem perduxisse et in summa rerum tam parum sibi constitisse, ut quae initio ipsi verisimilia visa fuerant, ea postea ipse retractaret. Quum enim olim conjecisset, Homeri nomen ei impositum fuisse, qui multa de Trojano bello popularia carmina in duo corpora redegisset, idem in iis, quae novae editioni suae Iliadis praefatus est, mutata sententia satius duxit putare, carmina Homerica ex parvis initiis, longo temporis spatio paullatim aucta, tot incrementa capere potuisse, ut eam, quae nunc est, amplitudinem nanciscerentur. Nihilominus tanta Wolfii auctoritas fuit, ut satis diu nemo de ulla re, quae illi placuisset, palam dubitare auderet, ac ne tum quidem, quum ipse a priore opinione sua defecisset, statim quisquam ei obloqui conaretur. Tempus fuit, quo pueriliter agere videbatur, quisquis Wolfii verba non pro oraculis habebat. Ac verum est, primum Wolfium quaestionem Homericam cum tanta diligentia atque tanta doctrinae copia et subtilitate perscrutatum esse, ut multa, quae ante ipsum vulgo credita fuerant, non modo dubia facta sint, sed etiam pristinam fidem nunquam recuperatura sint. Quorum in numero ea opinio habenda est, qua Homerus ipse carmina sua, qualia nunc legimus, tota perscripsisse, scripta posteris tradidisse crederetur, ut pauca tantum iniquitate temporum aut corrupta et mutilata, aut plane perdita essent. Talia siquis etiam nunc proferet, is merito ridebitur. Nam etiamsi, Nitzschium auctorem secuti, artem scribendi vel duobus saeculis prius, quam Wolfio placuerat, apud Graecos, si non omnes, at apud Jonios, satis usitatam fuisse putaremus, nunquam tamen ea tempora attingeremus, quibus Homerum vixisse verisimile est. Sed si haec et his similia Wolfio facile

concedimus, non tamen homines debebant omnes ejus opiniones temere arripere. Quod quam festinanter a multis factum sit, exemplo mihi erunt duo illi clarissimi poetae Goethius et Schillerus, quorum ille ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ de uno Homero desperavit, hic animum suum ita consolando levavit, ut si non uno patre genita essent Homerica carmina, at unam matrem Naturam iis esse diceret. Vix demum nonnulli viri docti, praesertim quum Wolfius rem ad finem non perduceret, respirabant et animum ab ejus auctoritate liberum ad singula examinanda adhibebant. Inter hos Bernardus Thierschius [1]), quamquam pleraque Wolfio concessit, de tempore tamen et de patria Homericorum carminum suam viam ingressus est, Nitzschius [2]) autem non tantum ipsum Homerum poetam, qui jam nullus fuisse visus erat, restituere, sed etiam eos refellere studuit, qui aut ex multis minoribus poematis epicis Homerica carmina congesta, aut ex parvulo initio paullatim incrementa cepisse dicerent. Sed nec his, nec aliis contigit, ut suas opiniones ceteris satis probarent. Nam Thierschius, quem magis respici velim, quam fieri solet, nec omnia sagaciter et ad persuadendum apte disputavit, et singulas tantum partes totius quaestionis persecutus est, Nitzschius autem, cujus magna olim inter viros doctos auctoritas fuit, copiosius quam ingeniosius scripsisse nec semper sibi videtur constitisse. Itaque factum est, ut et prior et posterior illa Wolfii opinio denuo multis probaretur. Et posteriorem quidem Hermannus novis argumentis commendare studuit. Sed eam, a plerisque explosam, nunc missam faciamus. Nam cum carminibus Homericis, qualia primo fuerint, interpolationes et minores et ampliores adjectas esse nemo negaturus sit, tamen non facile quisquam, qui quidem artem epicam non prorsus ignoret, carmen aliquod crescere et quasi intumescere posse censebit. Annon carmina ab aliis in latius diducta omni venustate exuentur? Priorem autem Wolfii opinionem praeeunte Lachmanno, viro acutissimo, paullo mutatam et accuratius definitam nunc magna pars Homericorum interpretum amplectuntur, in eaque probanda operam suam collocant. Ita autem ab ipso Wolfio differunt, ut, dum ille a toto quasi populo canente ficta carmina illa et postea ab uno in eam, quae nunc est, formam redacta esse conjecerat, cui ob id ipsum Homero nomen inditum esset, quod totum corpus conformasset, Lachmanniani (cum honore dico) a singulis poetis singula poemata vel minora vel majora ficta et elaborata esse dicunt, eaque ita conjuncta, ut etiam nunc Ilias et Odyssea in partes illas commode dissolvi posse videantur. Homerum ipsum hi vix curant, nec certam ei provinciam assignant, sive is unus fuit ex numero illorum poetarum, et is quidem nobilissimus, sive prima nominis vis multos poetas ejusdem generis nescio quo casu complexa est, sive is Homerus fuit, qui duo illa poemata ex ceteris conglutinavit. Quare omisso Homero, tantum de poesi Homerica loqui solent. Sed si jam difficile est, alicui persuadere, et Iliadem et Odysseam a magno numero hominum factam esse, sive totum populum, sive multos singulos poetas canentes animo fingis, — quomodo enim, quaeso, verisimile sit, tot homines easdem res eadem ratione tractandas sibi sumsisse? — illa difficultas etiam augebitur, ubi putaverimus, singula carmina, quae de

---

1) cf. potissimum ejus librum: „Ueber das Zeitalter und Vaterland des Homer“, quo in libro maxime Cratetem Malloten grammaticum et laudat et sequitur.

2) vide cum alia ejus scripta, tum praefationem, quam secundo adnotationum ad Odysseam factarum tomo praemisit. Praeterea cf. egregium ejus librum: „Die Sagenpoesie der Griechen“.

rebus Trojanis exstiterint, ita conglutinari potuisse, ut omnia satis probabili ratione cohaererent. Nam satis cohaerere ea, omnium fere usque ad Wolfium doctorum hominum consensu probatur, et ut ex antiquis uno nomine utar, Aristoteles quidem ex his carminibus disci posse ait, qualis epici carminis et natura et forma esse debeat. At enim illi interpretes, poeticae rationis satis negligentes, parum respicere videntur, quam multa sint, quae nos cogant putare, unam illorum carminum formam et unum quasi corpus esse, et dum singula perscrutantur in iisque multa manca, multa sibi contraria investigant, non deplorabilem multis locis conditionem carminum esse docent, sed ea in partes innumerabiles dilacerare malunt. At nunc in animo non est, singulos refellere; hoc unum moneo, fere omnia, quae illi, cur unum poetam Homerum fuisse negarent, sibi visi sunt invenisse, stare posse, etiamsi unum eum fuisse putamus, dummodo tempus, quo vixerit, et sortem, qua carmina post illum usa sint, respiciamus. Hoc enim maxime illi peccare videntur, quod rationes nostri temporis ad vetusta illa tempora, quibus Homerica poesis orta est, transferunt, nec satis curant, quo modo Homerus carmina sua vel invenire vel posteris tradere potuerit. Quid enim impedit, quominus credamus, Homerum, quum, quae mente conceperat, memoria ipsi servanda essent, nec nisi singulas deinceps partes carminum suorum fingere posset, multa ipsum cecinisse, quae parum inter se cohaererent, adeoque accuratius animumadvertenti secum pugnare viderentur? Quod nostris temporibus fieri non potest. Poetae enim nostri, quum scriptos libros suos quasi uno obtutu perlustrare possint, facile ea deprehendent, quae inter se dissident aut male conjuncta sunt. Homericis autem carminibus majus etiam damnum inferri potuisse apparet, postquam ab aliis cani coepta sunt, praesertim quum plerique non tota carmina sed singulas tantum partes sibi recitandas sumsisse videantur. Sic quum per multa saecula ore tantum propagata et memoria servata essent, fieri non potuit, quin mutilarentur, transformareutur, multis locis interpolarentur, priusquam denuo in unum corpus cogerentur. Nonnulla igitur, in quibus nunc viri docti offendunt, ab ipso poeta repetimus, caetera transferimus in eos, qui per tot saecula ejus carmina servaverunt. Pauca tantum, quae quidem a reliquis facile discerni possunt, tum addita sunt, quum carmina, usque eo confusa et mutilata, in eum, qui nunc est, ordinem consarcinarentur. Quae omnia quo magis perspicua sint, jam quid ipse de Homericorum carminum origine sentiam, indicabo.

Duo omnino constat fontium genera esse, ex quibus ea hauriri possunt, quae de Homero vel de Homerica poesi statuenda esse videantur. Aut enim ex narrationibus Graecorum aut ex ipsis carminibus argumenta petenda sunt. Ex illis quid disci possit, nuper Sengebuschius, vir eruditissimus, quum aliis scriptis, tum egregiis duabus dissertationibus demonstravit, quibus obscuras veterum de Homero narrationes ita enucleavit, ut fere omnia, quae de iis disputavit, pro veris haberi possint. Sed si ea, quae ille ex omni antiquitate congessit, libero animo perpenderimus, facile intelligemus, ex iis de Homero et de origine Homericorum carminum nihil certi disci posse. Primus enim, qui omnino de Homero scripsisse traditur, Theagenes Rheginus fere exeunte sexto ante Christum saeculo vixit. Illo autem tempore viva de Homero memoria jam nulla fuit. Quae igitur et ille et, qui post eum scripserunt, narrare poterant, ad ipsum Homerum non pertinebant, sed aut ejusmodi erant, ut quum de sorte et conditione carminum jure tradi potuissent, ad ipsum auctorem eorum transferrentur, aut commenta erant seriorum hominum. Recte igitur Sengebuschius vidit,

iis quidem, quae de Homeri aetate narrarentur, vera subesse, vetustate tamen ita obscurata, ut tempora iis significarentur, quibus Homerica *poesis* per singulas civitates propagata esset in iisque floreret. Haec vestigia secutus ille cum Aristarcho primum apud Athenienses poesin Homericam eo tempore floruisse demonstrat, quo coloniae ex Attica in Joniam deduci coeptae sunt, Athenis eam migrasse in insulam Jon, deinde Smyrnam, tum ad Chios, Colophonios, alios [1]). Reliqua, quae traduntur, in meris commentis grammaticorum nituntur, vel ex ipsis poematis petita, vel ex poetae nomine derivata. Sic quod Alten patrem, Thersiten tutorem, Mentorem et Tychium hospites ejus fuisse, Menten cum eo itinera fecisse, Phemium vitricum eum in literis erudivisse, Echetum denique aliquando injuriam ei intulisse ajunt, ea ex ipsis poematis opinati sunt. Similiter ex aliquot hymnis, quos ab antiquis fere Homero attributos esse scimus, conjecerunt, eum pauperem fuisse et canendo vitam sustentasse [2]). Eundem caecum fuisse [3]), ex tribus caussis videntur conjecisse, et quod Demodocum caecum illum apud Phaeaces poetam summis laudibus praedicat, et quod auctor hymni in Apollinem ipse se caecum esse canit [4]), denique quod caecus Aeolibus *ὅμηρος* (*μὴ ὁρῶν?*) dictus esset. Nominis caussa narrarunt, eum aliquando obsidem a Smyrnaeis missum esse, alii simile quid apud Chios factum esse tradiderunt, unde Homeridae nomen suum tulissent. Multi etiam narrant, Smyrnae eum vel apud Meletem fluvium, vel ipso Melete natum esse, unde ei nomen *Μελησιγενής* inditum sit, in insula Jo autem mortuum et sepultum esse [5]). Haec et multa alia quo tempore et quo modo ficta sint, dici quidem non potest, tamen nihil eorum antiquitus traditum fuisse manifestum est. Quare ut uno verbo dicam, *nihil eorum, quae Graeci de Homero retulerunt, viva memoria est traditum, nec quidquam usque ab ipsius Homeri aetate repeti potest, omnia iis demum temporibus, quibus memoria de vita Homeri jam plane exstincta fuit, paullatim ficta aut conjecturis grammaticorum excogitata esse, apparet.* Quae quum ita sint, omissis omnibus illis fabulis, hoc unum teneamus, Graecos nihil veri de ipso Homero narrare potuisse, quia nihil iis traditum fuerat. Nobis igitur ea tantum pro veris habere licebit, quae ex ipsis carminibus eorumque forma et conditione conjectura assequi poterimus. Sed priusquam ad hanc, quam indico, viam investigandi me convertam, pauca adhuc praemittenda sunt, ne aut temere agere aut nimia mearum virium fiducia duci videar. Mirum enim videri possit, si ne id quidem curem, de quo fere omnes homines docti inter Graecos uno ore consenserint, Homerum

---

1) vid. Diss. II. p. 77 sq.

2) vid. Hymnum in Cererem vs. 495, sq. et hymnum in Terram, communem omnium matrem, vs. 18, sq.

3) Cicero Tuscul. v. 39: „Traditum est etiam, Homerum caecum fuisse. At ejus picturam non poesin videmus. Quae regio, quae ora, qui locus Graeciae, quae species formaque pugnae, qnae acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum non ita expictus est, ut, quae ipse non viderit, nos ut videremus effecerit?"

4) Hymn. in Apollinem vs. 172: „*τυφλὸς ἀνήρ, οἰκεῖ δὲ Χίῳ ἐνὶ παιπαλοέσσῃ.*"

5) Ietas sepulcrum Homeri in insula sua ostendisse, notum est, eique haec inscripta fuisse:

Ἐνθάδε τὴν ἱερὴν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει,
Ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ὅμηρον.

Mortuum autem eum ibi esse dixerunt, quod hoc piscatorum aenigma:

Οὓς ἕλομεν λιπόμεσθ᾽ οὓς δ᾽ οὐχ ἕλομεν φερόμεσθα.

solvere non potuisset.

poetam in Jonia vixisse; nam nec Athenienses, quorum patrocinium hac in caussa Aristarchus suscepit, aliter Homerum suum esse confirmarunt, quam quod Smyrnaei a se originem duxissent [1]), et Argivi vix videntur ausi esse serio eum repetere, quamquam haud scio an caussa eorum optima fuerit. Sed non injuria hoc nobis sumimus, nos non minus recte, quam ipsos Graecos de his rebus judicare posse, quamvis multa adjumenta illis fuerint, quibus nos dolemus carere. Nam quibus illi usi sunt, pleraque nobis a scriptoribus serioris temporis servata sunt, quae perierunt, ea minus gravia sunt habenda. Quibus autem praeterea nos caremus, iis nec illi videntur uti voluisse. Itaque quibus illi ad has res investigandas usi sunt, ea fere omnia etiam nobis patent. Contra multa sunt, cur adeo rectius nos judicare posse putem. Imprimis huc refero, quod Graecis levitas quaedam et temeritas judicandi propria fuit, quam ne Alexandrini quidem illi critici sagacissimi, quantum ex reliquiis conjicere licet, omnem exuerant. Accedit quod Graecorum animi ad fabulas proclives erant, ac facile vera falsis miscebant. Quum igitur Homerica carmina ex Jonia in Europam translata esse constaret, vetusta autem memoria oblivione obruta esset, facile intelligitur, qui fieri potuerit, ut omnes fere Graeci patriam Homeri apud Jonios fuisse crederent, eique opinioni nobilissimi poetae et historici fidem haberent. Annon similia in aliis rebus evenerunt? Ut hoc uno utar, Graeci, quia literas a Phoenicibus ipsi acceperant, ab iisdem eas inventas esse pro certo affirmaverunt, quamquam nunc satis constat, jam multo ante Phoenices Aegyptios iis usos esse. Quare nihil curamus, quod Graeci fere omnes Homerum Jonicum poetam fuisse crediderunt, ipsi videbimus, utrum recte an falso crediderint.

Ut igitur ad ipsa Homerica carmina nos convertamus, primum quaerendum est, num quid ex rebus gestis, quas duo illa carmina amplectuntur, de poeta conjici possit. Constat autem Iliade res decimo belli Trojani anno gestas, Odyssea ea contineri, quae ad reditum Ulixis pertinent, omniaque, quae narrantur, undecim annorum spatio contineri, hoc igitur tempore ipsum argumentum Homericorum carminum circumscribi. Praeterea haud pauca in iis commemorantur, quae ad initium et caussas belli spectant, nonnulla etiam, quae aliquot hominum aetatibus ante bellum Trojanum gesta sunt. Earum autem rerum, quae post Ulixis in patriam reditum gestae sunt, nulla usquam mentio facta est, nisi quod subobscure, qui vitae exitus Ulixem maneat, significatur. Mirum autem certe videbitur, Homerum, si quidem in Jonia vixisset, omnia illa silentio praeterire potuisse, quae post res Trojanas in Graecia facta erant, praesertim quum gravissima essent. Nam postquam Heraclidae cum Doribus Peloponnesum invaserunt, in omnibus civitatibus Graecis tanta rerum mutatio facta est, ut non modo sedes earum gentium, de quibus potissimum Homerus agit, perturbarentur et prorsus commutarentur, sed etiam coloniae tum pri-

---

[1]) In duabus vitis Homericis hoc de Pisistrato epigramma legitur:

Τρίς με τυραννήσαντα τοσαυτάκις ἐξεδίωξε
Δῆμος Ἐρεχθῆος καὶ τρὶς ἐπηγάγετο,
Τὸν μέγαν ἐν βουλαῖς Πεισίστρατον, ὃς τὸν Ὅμηρον
Ἤθροισα σποράδην τὸ πρὶν ἀειδόμενον.
Ἡμέτερος γὰρ κεῖνος ὁ χρύσεος ἦν πολιήτης,
Εἴπερ Ἀθηναῖοι Σμύρναν ἐπῳκίσαμεν.

mum in eas terras et insulas deducerentur, in quibus Homerum vixisse ajunt. Dicunt quidem, eam divinam Homeri artem poeticam esse, ut in illa tempora, quae canit, mente sua adeo se totum transferre potuerit, ut rerum, quae postea gestae erant, nullam omnino mentionem faceret. Fieri id omnino posse, concedo, ab Homero fieri potuisse, nego, cujus poesis arte quidem non careat, sed ea simplici et ab artificio aliena. Quam grave autem illud argumentum sit, quod Homerus nullas res seriore tempore gestas attigit, ii ipsi videntur intellexisse, qui demonstrare conati sunt, apud Homerum tamen nonnulla vestigia serioris temporis inveniri. Sic jam dudum nota illa formula „*οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν*.“ usi sunt, ut Homerum aliquot certe saeculis post eas res, quas narravit, probarent vixisse; tanto enim demum spatio temporis exacto poetam aliquem dicere potuisse, sui aevi homines ab iis, de quibus narrat, adeo viribus superatos esse, ut cum iis comparari non possent. Sed qui ex illa formula talia probare voluerunt, eos Il. I, 271: „*κείνοισι δ' ἂν οὔτις τῶν, οἳ νῦν βροτοί εἰσιν ἐπιχθόνιοι, μαχέοιτο*“ aut fugisse aut non curae videtur fuisse. Illis enim verbis Nestor senex viros, qui contra Trojanos pugnant, viribus longe inferiores iis esse dicit, quos in pugna Centaurorum et Lapitharum ipse juvenis dimicantes viderit. Quodsi Homerus Nestorem talia loquentem facit, ipsius verba eadem mensura emenda sunt, nec quidquam impedit, quominus credamus, poetam, ubi illa formula utitur, a rebus gestis, quas narrat, non longius abfuisse, quam Nestorem senem a juvenili sua aetate. Immo si quis poetam puerum rebus illis aequalem fuisse autumet, ne id quidem verbis istis videtur refelli posse, quum sciamus, ea, quae pueri vidimus, postea ut multo majora animis nostris obversari, et res a patribus gestas fere miraculorum speciem prae se ferre. Non igitur B. Thierschio hac in re ad interpolationem confugiendum erat [1]). Etiam ex Il. II, 486 „*ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν, οὐδέ τι ἴδμεν*“ serius poetae aevum putaverunt conjici posse. Sed his verbis ullam temporis significationem inesse omnino negamus. Alii verbis Junonis, quae ad Jovem facit Il. IV, 51 sqq. „*ἤτοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ φίλταταί εἰσι πόληες, Ἄργος τε Σπάρτη τε καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη· τὰς διαπέρσαι, ὅτ' ἄν τοι ἀπέχθωνται πέρι κῆρι· τάων οὔτοι ἐγὼ πρόσθ' ἵσταμαι, οὐδὲ μεγαίρω· εἴπερ γὰρ φθονέω τε καὶ οὐκ εἰῶ διαπέρσαι, οὐκ ἀνύω φθονέους*“. urbes illas jam eversas ab Heraclidis significari putaverunt; ac sane ultimus versus, quem perscripsi, ei sententiae favet, nec erat, cur B. Thierschius ridiculum futurum fuisse judicaret, si poeta Junonem talia dicentem fecisset, postquam illae urbes jam deletae fuissent. Tamen facile concedetur, nec deletis urbibus opus fuisse, ut poeta illos versus canere posset. Nuper etiam Gisekius in programmate scholastico Rosslebiano (a. 1859) probare conatus est, „videri Homerum commemorare res bello Trojano inferiores“. Sed quae protulit, nec ullius momenti sunt, et admodum dubia. Nituntur enim maxime duarum urbium, Corinthi et Aeni, nominibus, quae apud Homerum leguntur, et iis, quae de Boeotis et Sintibus poeta commemorat. Quae quam levia sint, libro illo lecto quisque facile sentiet.

Contra nonnulla apud Homerum inveniuntur, quae si in Jonia multo post Trojam excisam vixisset, eum non scripturum fuisse apparet. Huc non refero nugas illas veterum grammaticorum, quas scholia ad initium libri XII Iliadis servaverunt. Ibi quum Poseidon

---

[1]) vid. B. Thierschius: „Ueber das Zeitalter und Vaterland des Homer“ p. 142. sqq.

et Apollo murum, a Graecis circa castra navalia exstructum, statim post Trojam dirutam admota vi fluviorum et infusis continuis imbribus dissolvisse narrentur, scholiastae docent, ex iis conjecisse aliquos, poetam non multo post res Trojanas (*οὐ μετὰ πολὺ τῶν Τρωικῶν*) vixisse; nam alioquin futurum fuisse, ut diuturnitate temporis (*μήκει χρόνου*) murum deletum poeta diceret [1]). Haec non magis vera sunt, quam quae in scholiis ad Il. XIV, 287 leguntur: *„εἰς ἐλάτην ἀναβὰς περιμήκετον, ἣ τότ' ἐν Ἴδῃ μακροτάτη πεφυυῖα δι' ἠέρος αἰθέρ' ἵκανεν"*., ex quibus verbis scholiasta conjici posse ait, Homerum post res Trojanas (*ὅτι μετὰ τὰ ἡρωικὰ ὁ ποιητής*), i. e. multo post Trojam dirutam vixisse. Talia concludi fortasse possent, si verum esset, quod scholiasta addit: *„νῦν ἐκεῖ ἐλάται οὐ φύονται."* Sed verum non esse Wood Anglus testatur, qui Idam montem pinis obsitum invenit [2]). Contra alium locum nunc laudo, quo Homerus sceptrum Agamemnonis *σκῆπτρον πατρώϊον, ἄφθιτον αἰεί* (Il. II, 46 et 186) vocat. Dicunt quidem, sceptrum Agamemnonis ob id solum corrumpi nunquam posse dici, quod ab Hephaesto deo elaboratum sit (cf. ib. vs. 101 sqq.), ut etiam aedes nonnullorum deorum et thronum *ἄφθιτα* dici constat. Sed ut hoc concedatur, tamen Homerum, si post deletum imperium Atridarum haec cecinisset, illa voce uti non potuisse apparet; fracto enim imperio etiam sceptrum frangitur. Praeterea, quominus Homerum in Jonia vixisse putemus, obstat illud, quod poeta Vlixem dicentem facit Il. II, 204 sq.: *„οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω."* Quamquam enim scimus initio in Jonia viros, regia stirpe ortos, Atheniensium coloniis, quas deduxerant, praefuisse, nunquam tamen plane regia eorum dignitas esse poterat, quum Athenis in patria urbe Codro interfecto reges jam esse desiissent. Apud Homerum autem regio nomini haud parvam dignitatem et auctoritatem esse, ex iis locis discimus, quibus, quae commoda cum regia dignitate conjuncta sint, exponit [3]). Quare Joniam quidem nec illa verba videntur redolere, nec quae aliquot versibus superius leguntur: *„ὃν δ' αὖ δήμου τ' ἄνδρα ἴδοι βοόωντά τ' ἐφεύροι, τὸν σκήπτρῳ ἐλάσασκεν ὁμοκλήσασκέ τε μύθῳ."* Tertius locus est Od. I, 351 sq.: *„τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείους' ἄνθρωποι, ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται."* Talia quomodo poeta dicere potuisset, si ipse res vetustas carminibus suis celebrasset? His locis haud dubie etiam plures addi possent, si certis testimoniis edocti essemus, qua ratione mores et instituta vitae humanae et instrumenta cujusvis generis per ea saecula, quae bello Trojano successerunt, paullatim mutata sint. Sic, ut hoc unum afferam, apud Homerum omnia fere arma, quibus in pugnis utuntur, ex aere facta sunt, ferrum adhuc *πολύκμητον* est, dum Hesiodi temporibus jam fere ferreis armis videntur usi esse, se enim ipsum ille ferreo aevo vivere queritur. Quodsi Homeri vita prope ad Hesiodum accederet, vix futurum erat, ut omnia arma aerea esse diceret. Sed, ut jam dixi, de his rebus parum certi memoriae traditum est, quare eas hic missas faciamus.

---

1) Poeta potius quum opus illud ingens fuisse cecinisset, (cf. Il. VII, 436 sqq.), ne quis miraretur, quod ejus nulla jam vestigia conspicerentur, deorum opera dirutum esse significavit. Certum tempus ex illis verbis definire frustra conati sunt.

2) cf. B. Thiersch l. l. p. 141.

3) cf. potissimum Od. I, 392 sqq. III, 480. Il. XII, 310 sqq.

Sed si supra diximus, Homericorum carminum argumentum angusto temporis spatio circumscribi, nisi quod occasione oblata nonnullas res antiquioribus temporibus gestas commemorat, ideoque verisimile esse, Homerum non multo post eas res, quas narravit, vixisse, haec nostra sententia etiam confirmabitur, ubi animadverterimus, quam certa et minime obscura sit cognitio omnium earum rerum, quarum mentionem facit. Certe si multis annis vel saeculis post vixisset, futurum non erat, ut tam accuratam et vivam [1]) quasi imaginem ejus temporis exprimeret, quod carminibus suis celebravit. Nam potest quidem poeta ea, quae ipsi tradita sunt, vivis coloribus depingere ac vel res vel homines, de quibus agit, ita describere, ut omnia bene inter se congruant, nec tamen eundem omnia adeo cognita et perspecta habere putabis, ut quasi praesens interfuisse iis et ex magna aliqua copia rerum ea tantum promere videatur, quae singulis locis apta sint. Homerus autem non ea tantum, quae ad rem ipsam, quam canit, necessario pertinent, accurate definit, sed saepissime etiam multa alia, quae casu quodam sese obferunt, temere et loquaciter persecutus, ultra quam opus est, depingit et enarrat. Sed frustra conabimur, hoc iis probare, qui ne Homerum paullo post excisam Trojam vixisse dicant, tantam ei fingendi artem tribuere malunt, ut non minus vivaciter res vetustas, quam praesentes canere potuerit. Quod cum post hominum memoriam nulli praeterea poetae contigerit, quomodo iidem caussam suam defendent, si non unum, sed plures poetas carmina Homerica fecisse putant? An quod alias inauditum est, id hac in re toties evenisse verisimile erit? Is vero, qui, certa opinione nondum captus, Homerica carmina legerit, nobiscum sentiet, poetam ea, quae narrat, non potuisse omnia ita fando accipere, ut aliquot demum saeculis post vixerit. Immo eum multa ipsum vidisse, multa ab iis accepisse, qui viderint, necesse est. Quam accurate homines eorumque cognationes et urbes et domus et res gestas et mores describit, nec ibi tantum, ubi rerum gestarum ordo id postulat, sed, ut jam dixi, temere quasi et casu quodam ductus! Verum quidem est, nonnulla eaque non levia obscure tractari, in aliis eum sibi non constare. Sic cui non mirum videatur, quod Penelope regina, postquam Vlixes jam viginti annos abfuit, pulcherrima fuisse et tot procis desiderium sui injecisse a poeta narratur? Nec minus difficile erit dijudicare, quomodo Neoptolemus bello Trojano interesse potuerit, quum Achilles admodum juvenis fingatur. Helena autem modo Graecis, modo Trojanis favere, hic summo Paridis amore ardere, illic pristinum maritum requirere legimus. Sed talia facilius a poeta, qui non multo post viveret, proficisci poterant, quam ab eo, qui res vetustas carmine exponeret. Hic enim aut res jam ipsa fama melius formatas nobis retulisset, aut ejusmodi res narrare evitasset, in quibus legentes facile offenderemus. Poetae enim, si rebus vetustate jam obrutis scripsisset, ita carmina sua componere licebat, ut omnia plana essent. Contra si paullo post res gestas vixit, poterat quidem,

---

[1]) Quam viva interdum narratio Homeri sit, testis maxime est locus ille Od. I, 298 sqq.: „ἢ οὐκ ἀΐεις, οἷον κλέος ἔλλαβε δῖος Ὀρέστης πάντας ἐπ᾽ ἀνθρώπους, ἐπεὶ ἔκτανε πατροφονῆα, Αἴγισθον δολόμητιν, ὅς οἱ πατέρα κλυτὸν ἔκτα;“, ubi ipsis rebus fere interfuisse poetam conjicias. Omnino saepissime caedem Agamemnonis et quomodo Orestes filius eam ultus sit, poeta tam fervido orationis genere depingit, ut satis recens memoria facinoris esse videatur. Cf. praeterea Od. III, 193 sqq. 255 sqq. XI, 409—456.

poetico quodam afflatu concitatus, vel venustatem Penelopes in majus extollere, vel aetatem Achillis imminuere, ut vires ejus augeret, non poterat idem numerum annorum, quibus res gestae erant, mutare, quia, quod verum erat, certo sciebat. Idem si antiquae de Helena famae credidisset, aut semper, aut nunquam eam desiderio pristini mariti teneri cecinisset. Sic quae primo obtutu obstare videntur, ne ab uno poeta eoque rebus aequali carmina facta dicamus, huic sententiae adeo favent. Vera autem esse, quae disputavimus, ipse Homerus nobis exemplo erit. Vbi enim res antiquiores attigit, ibi parce narrat atque ita, ut eum res longe remotas narrare sentiamus. Huc refero, quae pertinent ad bella Thebaica, ad res ab Hercule gestas, ad expeditionem Argonautarum, ad bellum Centaurorum et Lapitharum, ad gentem Pelopis et Nestoris, alia. Noli autem putare, eum talia tantum propterea voluisse obiter attingere, ne cursum suum nimis moraretur. Id enim a poeta non evitari, multis locis probatur. Exemplo erunt, quae narrantur de Ulixe puero in Parnasso monte vulnerato, de Phoenice domum Pelei recepto, de Menelai erroribus, de Agamemnonis caede et ultione. Eadem autem fere ratio est locorum, quae poeta describit; alia enim ratio narrandi est, ubi de regionibus remotioribus loquitur, alia, ubi magis propinquas describit. Sic, ut cetera hic omittamus, si, quae de Phaeacum insula dixit, cum iis, quae de Ithaca leguntur, comparaverimus, facile cognoscemus, poetam in illa nunquam fuisse, in Ithaca omnia penitus cognita habuisse. Scheriae enim imaginem nobis praebet tam accurate adumbratam, ut ab ipso fictam eam et formatam facile intelligamus; de Ithaca occassione data plurima ita narrat, ut non ipse ea finxisse, sed usu cognita habuisse videatur. Quare facile eam partem Scheriae, in qua res ab Homero narratae geruntur, in charta depingere et certis lineis adumbrare poterimus, Ithacam frustra [conabimur ita describere, ut singulorum, quae a poeta commemorantur, certa nobis et perspicua imago evadat. Ibi poetae, quia, quae descripsit, oculis non viderat, accurata imago mente formanda erat, quam nobis proponeret, hic tantum, ut ordo rerum gestarum postulabat, singularum rerum, quas ipse optime noverat, mentionem fecit. Si igitur aedes Vlixis ipse non cognovisset, aut parcius de iis locutus esset, aut effecisset, ut legentes certam quandam earum imaginem nancisceremur, qualem de Alcinoi regia nobis depinxit. Nunc apparet, ipsum penitus illas cognitas habuisse, nec enim unquam fusius de iis loqui evitavit, nobis autem multae earum partes obscurae sunt. Tres autem potissimum sunt regiones, quarum magis accuratam cognitionem Homero fuisse intelligimus, ager Trojanus, Peloponnesus, Ithaca. Agrum Trojanum mihi quidem Homerus suis oculis videtur conspexisse, quum descriptio ejusmodi sit, ut ipsum de eo, ut de regione nota, loqui appareat, dum nobis multa obscura sunt. Huc refero *τύμβον Αἰσυήταο γέροντος* (Il. II, 793), *Ἴλου σῆμα* (Il. X, 415. XI, 166 all.), *ἐρινεόν* et *φηγόν*, quae arbores multis Iliadis locis nominantur, *Καλλικολώνην* (Il. XX, 53. 151.), *κρουνὼ καλιῤῥόω* (Il. XXII, 147 sqq.), alia. Eodem pertinet, quod jam supra laudavi, quod poeta murum, ab Achaeis exstructum, jam nullum esse memorat (Il. XII, init.), item pinus illa altissima, quam tum (*τότε*) in Ida fuisse narrat (Il. XIV, 287.), sive poeta suis oculis talem arborem in Ida vidit, sive nullam ibi invenit. Nihilominus si quis Homerum haec, quae ad Trojanum agrum spectant, aliorum narrationibus edoctum scripsisse maluerit, non admodum repugnabo. Quae autem de Peloponneso apud eum leguntur, ea certe ejusmodi sunt, ut ibi saepe multumque versatus

esse videatur. Laudo, quae de Argis [1]) et Mycene [2]) urbibus, item de Lacedaemone [3]), prope quam adeo certum quendam agrum tritico obsitum (*πεδίον πυρηφόρον*) fuisse commemorat (Od. III, 495), denique quae de Pylo [4]) urbe leguntur. Huc adde septem illas urbes, quas Agamemnon se Achilli pro dote daturum esse promittit (Il. IX, 150 sqq.), Thryoessam urbem, in monte sitam (Il. XI, 711. *Θρυόεσσα πόλις, αἰπεῖα κολώνη.* cf. Il. II, 592: *Θρύον, Ἀλφειοῖο πόρον.*), alia.

Magis etiam accurata quam Peloponnesi est descriptio Ithacae insulae. Satis autem erit, hic paucis verbis eorum admonere, quae de Nympharum antro (Od. XIII, 102 sqq.), de sede Eumaei, de Coracis rupe et de Arethusa fonte (Od. XIII, 408.), de via, qua inde in urbem commeatur, et de fonte, ex quo Ithacenses aquam hauriebant (Od. XVII, 204 sqq.), de agro Laertis, denique quae multis locis de ipsa urbe et de regia Vlixis a poeta dicuntur. Si cum his comparaveris, quae poeta de aliis terris locisque memorat, admodum tenuia et parca ea esse invenies. Nolo hic de fabulosis illis regionibus loqui, quas Vlixes in erroribus suis se adiisse narrat, nolo commemorare Aegyptum, Phoeniciam, Libyam, alias remotas terras; sed cur nullam septemtrionalis Graeciae partem copiosius tractat, quamquam Achillis patriam ibi fuisse constat, cur Atticam vix paucis verbis attingit, cur excepto agro Trojano totius Asiae vix uno alterove loco meminit [5])? Certe si Atheniensis aut Jonius fuisset, harum terrarum saepius mentionem fecisset. Dicunt quidem, Homerum fere omnes terras antiquo tempore cognitas perlustrasse, nec quod alias silentio praeterierit, alias parcius, alias fusius descripserit, inde quidquam de ipsius patria conjici posse; eum necessitati tantum paruisse, quam natura rerum gestarum ipsi in narrando imposuisset. Sed praeterquam quod periculosissimum poetae fuisset, illis quidem temporibus tot ipsum adire terras et urbes, non quaeritur, quid fieri potuerit, sed quid factum esse verisimile sit. Huc accedit, quod interdum poeta patriam suam prodere videtur. Artemidem quidem depingit venantem in Peloponnesi montibus [6]), quamquam notissimum est, eam in civitatibus Joniae maxime cultam esse [7]). Alter locus est difficilis ille Od. IX,

---

1) *πολυδίψιον Ἄργος* Il. IV, 171. *ἱππόβοτον* Od. IV, 99. XV, 239. 274. Il. II, 287. IX, 246. *Ἄργεϊ πολυπύρῳ* Il. XV, 372.

2) *εὐρυάγυια Μυκήνη* Il. IV, 52. *πολυχρύσοιο Μυκήνης* Il. VII, 180. XI, 46. Od. III, 305. *ἐϋκτίμενον πτολίεθρον* Il. II, 569.

3) *Λακεδαίμονος ἐρατεινῆς* Il. III, 239. 443. *κοίλην Λακεδαίμονα κητώεσσαν* Il. II, 581. Od. IV, 1. *εὐρύχορον* Od. XIII, 414. XV, 1. *Σπάρτῃ εὐρείῃ* Od. XI, 460. *Σπάρτην καλλιγύναικα* Od. XIII, 412.

4) *Πύλῳ ἠγαθέῃ* Il. I, 252. Od. II, 308. IV, 599. 702. etc. *Πύλου ἠμαθόεντος* Il. II, 77. Od. II, 326. IV, 633. etc. *Πύλῳ ἔνι, μητέρι μήλων* Od. XV, 226. *Πύλου αἰπὺ πτολίεθρον* Od. III, 485. XV, 193.

5) *Ὕδης ἐν πίονι δήμῳ* Il. XX, 385. *Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα.* Il. II, 460. Nisi forte hic locus totus Jonico rhapsodo debetur.

6) Od. VI, 102 sqq. „*οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα, ἢ κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον ἢ Ἐρύμανθον, τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείῃς ἐλάφοισιν.*“

7) cf. B. Thiersch. l. l. p. 289 sqq. Quae idem ibi disputat de Od. III, 1: *Ἠέλιος δ' ἀνόρουσε λιπὼν περικαλλέα λίμνην* et Il. V, 5 sq. „*ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅστε μάλιστα λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος Ὠκεανοῖο*“ non audienda sunt, quum et sol et ceterae stellae ex Homeri sententia ex Oceano surgant, imago autem ex mari surgentis stellae non minus in Asia, quam in Europa habitanti poetae deberi possit. Non minus arguta sunt, quae Thierschius de Ossa et Pelio Olympo monti impositis (Od. XI, 315), de voce *ἄστεος* (Il. III, 140) et de mari, quod *ὑπὲρ Κρήτης* situm dicitur (Od. XIV, 300) disputat.

25: „αὐτὴ δὲ χθαμαλὴ πανυπερτάτη εἰν ἁλὶ κεῖται πρὸς ζόφον.“ Quo quidem loco neutrum adjectivum de vera insulae altitudine intelligi potest, ut sequenti versu τρηχεῖα de ejus asperitate dicitur, sed utroque ea species indicatur, quam insula procul conspicienti praebet, et χθαμαλή quidem nihil est nisi „in mari porrecta“ (proprie „humi jacens“), πανυπερτάτη autem, conjunctum cum πρὸς ζόφον, est „maxime ad septemtrionem spectans“, quod probatur additis verbis: „αἱ δέ τ' ἄνευθε πρὸς Ἠῶ τ' Ἠέλιόν τε“, quibus ceterae insulae magis meridiem versus sitae esse dicuntur. Non autem dubium est, quin ex Peloponneso illas insulas intuenti ita positae conspiciantur, ut poeta dicit. Etiam Od. III, 272 „τὴν δ' ἐθέλων ἐθέλουσαν ἀνήγαγεν ὅνδε δόμονδε“ fortasse ab aliquo scripta sunt, qui domum Aegisthi suis oculis in edito loco sitam vidisset. Quae interpretes ad sententiam contrariam probandam ex Il. IX, 5 (cf. XXIII, 193—230) et ex Il. II, 535 et 626 collegerunt, ea jam a B. Thierschio l. l. p. 264 sqq. recte refutata sunt.

Jam ut ea, quae adhuc disputavimus, comprehendamus, apparet, Homerum totum versari in iis rebus narrandis, quae vel bello Trojano vel paullo post gestae sunt, eundem accuratam tantum agri Trojani, Peloponnesi, Ithacae prodere cognitionem. Quibus quam bene cetera respondeant, nunc videbimus. Et primum quidem ad nonnullas res transeamus, quas Homerus longe aliter narravit, quam ii poetae, qui proxime eum exceperunt, Cyclici. Notum est, Cyclicos poetas, quos octavo et proximis deinceps saeculis in Jonia floruisse scimus, tanta Homeri reverentia ductos esse, ut carmina sua omnino ejus auctoritati et nomini subderent. Quare si formam spectas, quam proxime ad Homerum accedere studuerunt, quae caussa fuit, cur carmina eorum non raro in numero Homericorum referrentur, sin argumenta spectas, nunquam easdem res, quas Homerus tractavit, repetere aut novis poematis exornare ausi sunt, ne divino illi poetae aemulari, quod nefas esset, viderentur, sed quas ille non attigerat rerum Troicarum partes, eas, quales fama formatas acceperant, canendas sibi sumserunt. Tamen fieri non potuit, quin nonnulla, quae Homerus ex aliis partibus belli data occasione paucis verbis commemorat, etiam a Cyclicis poetis narrarentur. Jam si verum esset, quod multis probatur, res Trojanas, per multa saecula singulorum poetarum carminibus formatas et effictas, postea unius Homeri nomine coactas et compositas esse, paullo autem serius eas, quae Iliade et Odyssea nondum continerentur, a Cyclicis poetis tractari coeptas esse, nec tanta Homeri apud hos reverentia fuisset, ut, quas belli partes in Homericis carminibus jam tractatas invenissent, eas ipsi attingere vererentur, quum Arctinus et Lesches Trojae eversionem uterque canere non dubitarent, nec hercle tanta jam in nonnullis rebus, quas utrique commemoraverunt, diversitas conspiceretur, quanta inter Homerum et Cyclicos poetas intercedit [1]). Nam Cyclici, quae ipsorum erga Homerum reverentia erat, in iis narrandis non poterant multum ab Homero deflectere, nisi longo temporis spatio res jam fama mutatae et aliter formatae fuissent. Afferam nonnulla, ex quibus satis intelligetur, Homerum multa simplici ratione narrare, quae post eum variis fabulis aucta et prorsus mutata Cyclici poetae tractaverunt.

---

[1]) Levitatis certe est, ubi quaeritur, num Iliadis et Odysseae idem fuerit auctor, diversitates sane exiguas, quae inter duo illa carmina intercedunt, urgere et augere, ea, quae inter Homerica et Cyclica carmina sunt admodum conspicua, fere videre nolle, ne tempora nimis dirimantur.

Satis autem erit, ex Stasini Cypriis aliquot exempla adhibere, quum quia ille in vetustissimis Cyclicis refertur, tum quia satis multa de Cypriorum argumento tradita sunt. Apud Homerum igitur Helena binis quidem locis Jove nata dicitur[1]), eam anserino vel cygni ovo ex Leda partam esse, quod Stasinus in Cypriis narrat, Homerus ignorat. Castorem et Pollucem fratres Helenae fuisse Homerus narrat, qui jam ante bellum exortum mortui erant[2]), apud Stasinum Castor mortali patre, Pollux deo genitus legebatur[3]). Belli Trojani Homerus pluribus locis hanc unam caussam fuisse dicit, quod Helena cum multis divitiis a Paride rapta sit[4]), in Cypriis multas jam fabulas admixtas invenimus: Jovem, ut terram nimia hominum multitudine levaret, bellum Trojanum decrevisse, ab Eride in nuptiis Pelei notum illud de pulchritudine certamen tribus summis deabus injectum esse[5]), cujus certaminis arbiter factus, quum Paris Aphrodite duce, cui palmam pulchritudinis dedisset[6]), Helenam rapuisset, ipsum bellum commissum esse. Etiam hac in re Stasinus ab Homero discedit, quod Paridem jam Spartae in urbe rem cum Helena habuisse narravit, dum apud Homerum id demum in ipso itinere factum esse legimus[7]). Item apud Stasinum et Helenum et Cassandram res futuras canere legebatur. Et Helenus quidem ab Homero *οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος*[8]) dicitur, sed Cassandram vaticinandi artis gnaram fuisse, nusquam apud eum legitur. Multas res Stasinus de bello parando retulit, quae vel diversae, vel prorsus alienae ab Homero sunt. Sic ille Vlixem, ne bello interesset, amentiam simulavisse, hic eum cum Nestore adeo alios ad societatem belli vocasse

---

1) Od. IV, 184: „*Ἀργείη Ἑλένη, Διὸς ἐκγεγαυῖα.*“ Ib. 569: „*οὕνεκ' ἔχεις Ἑλένην, καί σφιν γαμβρὸς Διός ἐσσι.*“ de Menelao.

2) Il. III, 236—244: „*δοιὼ δ' οὐ δύναμαι ἰδέειν κοσμήτορε λαῶν, Κάστορά θ' ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα, αὐτοκασιγνήτω, τώ μοι μία γείνατο μήτηρ. ἢ οὐχ ἑσπέσθην Λακεδαίμονος ἐξ ἐρατεινῆς; ἢ δεῦρο μὲν ἕποντο νέεσσ' ἔνι ποντοπόροισιν, νῦν αὖτ' οὐκ ἐθέλουσι μάχην καταδύμεναι ἀνδρῶν, αἴσχεα δειδιότες καὶ ὀνείδεα πόλλ', ἅ μοί ἐστιν; Ὣς φάτο· τοὺς δ' ἤδη κατέχεν φυσίζοος αἶα ἐν Λακεδαίμονι αὖθι, φίλῃ ἐν πατρίδι γαίῃ.*“ Ex hoc loco etiam intelligitur, Homero eam caussam, cur seriores scriptores regnum Spartanorum ad Tyndarei generum statim post Helenae nuptias hereditate translatum esse dicant, plane ignotam fuisse. Homero enim auctore fratres tempore inter raptam Helenam et excisam Trojam interjecto mortuos esse videmus. —

3) Legitur quidem Od. XI, 298 sqq. Castorem et Pollucem alternis diebus vivere et divino honore frui (vs. 302 sqq. „*οἳ καὶ νέρθεν γῆς τιμὴν πρὸς Ζηνὸς ἔχοντες, ἄλλοτε μὲν ζώουσ' ἑτερήμεροι, ἄλλοτε δ' αὖτε τεθνᾶσιν· τιμὴν δὲ λελόγχασ' ἶσα θεοῖσιν.*“) Sed totus hic locus spurius est. Tamen ne hic quidem Jove nati dicuntur (vs. 299 sq.: „*ἥ ῥ' ὑπὸ Τυνδαρέῳ κρατερόφρονε γείνατο παῖδε Κάστορα κ. τ. λ.*“).

4) cf. Il. XIII, 622 sqq. XXII, 114—116: „*καί οἱ ὑπόσχωμαι Ἑλένην καὶ κτήμαθ' ἅμ' αὐτῇ, πάντα μάλ', ὅσσα τ' Ἀλέξανδρος κοίλῃς ἐνὶ νηυσὶν ἠγάγετο Τροίηνδ', ἥ τ' ἔπλετο νείκεος ἀρχή.*“ Od. XI, 436 sqq.

5) Il. XVIII, 84 sqq. XXIV, 60 sqq., nuptiae illae memorantur, certaminis autem adeo nulla mentio fit, ut in posteriore quidem loco adeo summa deorum, qui adsunt, concordia significari videatur: vs. 62—63: „*πάντες δ' ἀντιάασθε, θεοί, γάμου· ἐν δὲ σὺ τοῖσιν δαίνυ' ἔχων φόρμιγγα*“.

6) Il. XXIV, 28—30: „*Ἀλεξάνδρου ἕνεκ' ἄτης, ὃς νείκεσσε θεάς, ὅτε οἱ μέσσαυλον ἵκοντο, τὴν δ' ᾔνησ', ἥ οἱ πόρε μαχλοσύνην ἀλεγεινήν.*“ Hic judicium Paridis commemoratur quidem, sed versus 29—30 haud dubie a seriore poeta adjecti sunt; nam cum antea non solum Here et Athene, sed etiam Poseidon Trojam odisse dicti essent, non tantum cur duae illae deae odissent, explicari debebat. Accedit quod vox *μαχλοσύνη* apud Homerum alias non legitur.

7) Il. III, 445.

8) Il. VI, 76.

dicit [1]. Etiam Stasinus primus narrat, Agamemnonem Aulide Iphigeniam immolasse, ut Artemis placata secundos ventos daret, apud Homerum Iphigeniae nomen non legitur, una filiarum Agamemnonis Iphianassa nominatur, quae tempore belli Trojani domi vivere dicitur [2], Artemidis autem nulla nec iratae nec placatae mentio fit. Huc accedit, quod Homerus et Diomedem et Idomeneum salvos in patriam rediisse dicit [3], dum serioribus fabulis male ibi accepti et a civibus expulsi esse narrantur. Sed satis erunt haec exempla; quibus si nonnulla alia addidero, quae ad ipsam expeditionem Trojanam non pertinent, ut ea, quae multis locis de Hercule leguntur, quae de Jocaste, quam Homerus Epicasten nominat [4], de Niobe [5], alia, jam apparebit, ubique apud Homerum vetustissimam ac simplicissimam formam rerum gestarum inveniri, ab eaque ceteros poetas tantum recedere, ut **multo** post illum hos vixisse necesse sit.

Restat, ut de sermone, quo Homerus usus est, pauca dicamus. Ajunt quidem, eum favere illi opinioni, qua Homerus Jonicus poeta fuisse creditur, quia dialecto Jonicae maxime sit similis. Alii eum propius ad Aeolicam linguam accedere rati, Aeolicum poetam Homerum fuisse dixerunt. Denique erant, qui eum Attico sermoni similiorem esse, quam ceteris, dicerent. Sed non quaeritur, cui dialecto ea sit similis, qua Homerus usus est, sed quae ipsa ejus dialectus habenda sit. Quae cum nec Attica sit, nec Jonica, nec Aeolica, apparet poetam nec Atheniensem, nec Jonium, nec Aeolium fuisse, sed aut eo jam tempore vixisse, quo Graecorum sermo nondum in diversa genera dicendi discesserat, aut in alia terra, ubi diversa ab illis dialecto homines utebantur. Nec dubium mihi est, quin Homerica carmina primum vetusta Achaeorum dialecto decantata sint. Non enim ii audiendi sunt, qui suo epicos poetas genere dicendi usos esse dicunt, nec ex dialecto eorum patriam aut tempus, quo vixerint, definiri posse. Quod si serioribus temporibus fere usitatum fuit, ut sua cuique literarum generi dialectus propria esset, idem ad Homerum referri non potest; immo hunc suo potius patrio sermone usum esse verisimile est. Postea autem, quum omnes epici poetae Homerica carmina pro viribus imitari studerent, ipsa Homerica dialectus epicis poetis propria facta est. Nec magis verum vidisse eos dixerim, qui ideo Homeri dialectum et Aeolicae et Jonicae similem esse putant, quod Homerus Smyrnae in urbe vixerit, ubi cives, ex utraque gente orti, mixto sermone usi sint. Sed nec duae illae gentes in unam ibi civitatem coaluerant; legimus enim alteram ab altera vexatam et subjectam et expulsam esse; nec si coaluissent, verisimile est, mixtum inde dicendi genus exoriturum fuisse. Quis, quaeso, unquam alias evenisse audivit, ut mixtarum gentium mixtus sermo factus sit? Itaque quamquam certis argumentis id de-

---

[1]) Il. XI, 766 sqq.

[2]) Il. IX, 144 sq.: „τρεῖς δέ μοί εἰσι θύγατρες ἐνὶ μεγάρῳ εὐπήκτῳ, Χρυσόθεμις καὶ Λαοδίκη καὶ Ἰφιάνασσα“.

[3]) Od. III, 180 sqq. 191 sq.

[4]) Od. XI, 271 sqq. Nec liberorum Oedipodis hoc loco mentio fit (immo ἄφαρ illud, quod vs. 274 legitur, nisi artificiosius interpreteris, significare videtur, statim post nuptias necessitudinem, quae inter Oedipum et Jocasten intercedebat, cognitam esse), nec Oedipus oculos sibi ipse effodisse aut Thebis expulsus esse narratur. Item Oedipus Il. XXIII, 679. Thebis in ipsa urbe mortuus et sepultus esse dicitur.

[5]) Il. XXIV, 602—17. Hoc in loco quattuor ultimi versus spurii videntur esse, et quia versui 602 et 613 parum respondent, et quia poeta, versu 613 ad initium rediens, apte totam rem concludit.

monstrari nequit, praesertim quum ne serioribus quidem temporibus qui sermo Achaeis proprius fuerit, nobis sit traditum, tamen mihi non dubium est, quin Homerus vetusta Achaeorum dialecto carmina sua olim decantaverit. Postea quidem, quum maxime ab Jonibus recitarentur, fieri non potuit, quin sermo in dies propius ad Jonicam dialectum accederet. Multa autem in verbis ac formis mutata esse, facile ex hodierna conditione carminum conjicitur. Sed ea nunc non persequamur.

Jam ut omnia, quae adhuc disputavimus, in unum conferamus: quum de Homero a veteribus Graecis nihil certi traditum sit, omniaque, quae de ejus vel vita, vel patria, vel aetate constituenda nobis videantur, ex ipsis carminibus haurienda sint, res ipsae, quae in iis tractantur, et ratio, qua narrantur, sermo denique, quo poeta usus est, haec omnia nobis suadent, ut Homerum paullo post Trojani belli tempus in terra Achaeorum vixisse credamus. Confirmabitur autem haec opinio, si earum rerum rationem habebimus, quae postea gestae sunt. Quum enim octoginta fere annis post Trojam eversam Heraclidae cum Doribus Peloponnesum occupassent et Achaeos partim occidissent, partim expulissent, alios potestati suae subjecissent, pauci illi Achaei, qui e Dorica potestate sese eripuerant, Jonios, qui in septemtrionali Peloponneso habitaverant, ex sedibus suis exegerunt, quas ipsi occuparunt. Jonii autem in Atticam confugerunt, unde olim in Peloponnesum descenderant. Sed quum Attica nimia hominum multitudine laboraret, factum est, ut Codro interfecto multae deinceps coloniae in Asiam deducerentur. Colonis autem, ut agrum haberent, in quo sedes suas collocarent, diuturna bella gerenda erant, praeterea urbes vel exstruendae, vel amplificandae, vel muniendae. Aliquot demum saeculis post videntur et opibus et artibus floruisse. Jam si quaeritur, quo tempore verisimile sit carmina Homerica nasci potuisse, certe, nisi praeoccupata mente rem perpenderis, nullum aliud tempus magis idoneum fuisse invenies, quam id, quod interjectum fuit inter bellum Trojanum et expeditionem Heraclidarum. Nunquam enim postea res adeo pacatae fuerunt, ut poeticae arti satis faverent. Sed quum jam B. Thierschius in libro laudato [1]) ad persuadendum apte de hac re disputaverit, nos accuratiore argumentatione facile supersedere poterimus. Hoc unum urgebo, in ipsis carminibus imaginem rerum tota Graecia pacatarum ita expressam esse, ut eam nemo poeta post expeditionem Heraclidarum tam vivis coloribus adumbrare potuisset.

Quodsi cum his ea conferimus, quae supra de testimoniis veterum Graecorum disputavimus, omnia optime conveniunt. Nam si omnia illa testimonia non ad ipsum poetam, sed ad carmina Homerica referimus, quum prima vestigia eorum deprehendamus in eo tempore, quo coloniae Athenis in Joniam deduci coeptae sunt, jam apparet, poetam ipsum ante illud tempus vixisse. Nec enim fabulae illae de filiabus et de genero Homeri atque aliae, quae traduntur, factae essent, nisi memoria poetae jam oblivione obruta fuisset. Quum igitur carminum memoria usque ad illud tempus redeat, quo poetae memoria jam adeo obscurata erat, ut ineptas de eo fabulas fingerent, necesse est, Homerum aliquanto prius vixisse, quam coloniae in Asiam deductae sunt.

---

[1]) p. 165 sqq.

Non igitur debebat Sengebuschius propterea, quod vetustissimae narrationes usque ad primas colonias Athenis deductas redeunt, Homerum Atheniensem fuisse dicere. Quum in alia caussa ejus opinio non nitatur, in hac certe nihil est, cur poetam ipsum inter primos colonos fuisse credamus. Hoc tantum sequitur, ut carmina Homerica jam cum primis colonis in Asiam demigrasse videantur.

Nunc restat, ut nostram de origine Homericorum carminum sententiam perpetua oratione exponamus.

Bello Trojano finito quum a multis poetis [1]) res a Graecis fortiter gestae et labores, quos in patriam vel redeuntes vel jam reversi perpessi erant, apud Achaeos carminibus celebrarentur, unus poeta, Homerus [2]) nomine, videtur exstitisse, qui ceteros omnes arte sua adeo superaverit, ut ejus solius carmina digna haberentur, quae ad posteritatem propagarentur. Vixisse autem eum puto una fere hominum aetate post Trojam captam, Vlixe etiamtum vivente; num autem Argis vel Mycenae, an Spartae, an Pyli, an in Ithaca vixerit, parum refert. Is igitur, quamquam ea, quae cecinit, ipse in certum quendam ordinem et in duo corpora [3]) redegit, tamen singula longo temporis spatio paullatim finxit et aliis canenda tradidit. Quo factum est, ut, quamvis pleraque apte cohaererent et congruerent, non pauca tamen statim ab initio inter se discreparent. Quae discrepantiae majores in dies fieri debebant, quum ab aliis canerentur, qui non omnes omnia carmina simul memoria tenerent. Quamquam enim dubium non est, quin unus tota illa carmina discere potuerit, magis tamen verisimile est, singulos plerumque singulas partes didicisse et cecinisse, et ob id ipsum postea in Jonia plures communi Homericae poeseos studio inter se conjunctos fuisse. Primo autem aoedi sive citharoedi, postea rhapsodi videntur dicti esse, qui carmina Homerica recitabant. Post Doricam expeditionem carmina videntur ad Athenienses delata esse, quia in ipsa Peloponneso novae res arti canendi minus favebant. Quum autem sciamus, Nestoridas Athenas confugisse, non ineptum erit opinari, ab his poesin Homericam eo translatam esse. Iidem videntur Homerica carmina in Joniam detulisse; nam nobilissimi duces, qui Athenis colonias in Asiam deduxerunt, a Nestore genus repetivisse traduntur. In Jonia autem Homerica carmina statim ab initio in summa auctoritate fuerunt, quia vetustae Graecorum res iis celebrabantur, multisque in urbibus scholae exstiterunt, in quibus omne studium in iis discendis et recitandis collocabatur, inter quas scholas notissima est Homeridarum, quae in insula Chio floruit. De quibus scholis quum Sengebuschius in altera dissertatione egregie disputaverit [4]), non opus est, nos accuratius de iis scribere. In iis autem per aliquot certe saecula carmina Homerica ore tantum tradita et viva rhapsodorum voce propagata sunt, donec in chartis perscribi coepta sunt. Quo autem tempore primum scripta sint, nunc investigari nequit.

---

[1]) Tales poetas statim post bellum Trojanum in Graecia exstitisse, ex ipsis Homericis carminibus discimus. Cf. Jacob: Ueber die Entstehung der Ilias und der Odyssee. p. 3 sqq.

[2]) De nomine Homeri quam multae et dubiae opiniones fuerint, notum est. Cf. Sengebuschii diss. II. p. 89 sqq.

[3]) Eandem utriusque carminis originem fuisse, mihi persuasum est; sed in hac disputatione caussas ejus rei ipse non afferam. Non tantam inter Iliadem et Odysseam diversitatem intercedere, ut non una natura et ratio utriusque carminis haberi debeat, optime Jacob docuit in libro laudato: Ueber die Entstehung der Ilias und der Odyssee.

[4]) p. 45 sqq.

Hoc unum pro certo haberi poterit, Pisistratidarum[1]) demum opera ea tota perscripta, et quum antea in multas partes distracta et confusa fuerint, ab illis collecta et in eum, qui nunc est, ordinem redacta esse[2]). Quum autem Pisistratidae sexto ante Christum saeculo Athenis regnaverint, si Homerum jam duodecimo a. Ch. saeculo vixisse recte supra conjecimus, carmina ejus fere per sex saecula memoriter servata et tradita sunt. Quo quidem longo temporis spatio fieri non potuit, quin multa in iis mutarentur, multa perirent, nonnulla adderentur. Quare non mirum est, quod tot tamque magnae in iis discrepantiae inveniuntur, multaque parum inter se cohaerent. Immo magis mirum foret, si adhuc omnia integra et intacta essent eodemque ordine legerentur, quo olim ab Homero decantata erant. Et quum diversarum partium diversa sors fuerit, facile intelligitur, qui fieri potuerit, ut diversarum partium nunc diversa sit conditio et forma. Sic, ut hoc unum moneam, Ilias, qualis hodie est, magis vetustatem redolet, quam Odyssea, quia magis sancta habebatur; quare qui illam recitabant, verebantur, formam ejus antiquitus traditam temere mutare. Nec tamen omnes partes Iliadis eadem sorte usae sunt, sed nonnulla in Iliade leguntur, quae propius ad similitudinem Odysseae accedunt, dum haud pauca in Odyssea reperiuntur Iliadi similiora. Cum autem disputatio mea jam ad finem properet, nunc singula persequi nolo. Sed si vera sunt, quae disputavi, non dubito, quin hac, quam proposui, ratione omnes nodi solvi possint, quibus Homerica quaestio laborat. Sic enim explicari poterit, quum utrumque carmen unum corpus efficiat, cur tamen interdum rerum gestarum ordo sit interruptus, cur tam multa parum consentiant, nonnulla adeo inter se pugnent, cur denique et rerum et sermonis ea nunc conditio sit, ut diversorum temporum vestigia in iis deprehendantur. Quamquam non omnia, quae viri docti in iis vel manca vel perturbata invenisse sibi visi sunt, corrupta dico, immo multa, in quibus haerent, magis ipsorum subtilitatem et acumen ingenii probant, quam vera esse, quae disputant. Sed, ut jam praefatus sum, nunc non omnia, quae meae sententiae opponi possunt, refellere volui, satis erat, in universum ostendere, quibus potissimum caussis adducar, ut eam amplectar. Quae caussae ut etiam aliis probentur, opto.

---

2) Operae pretium est, admonere, etiam Pisistratidas genus suum a Nestore repetivisse, ut, si vera sunt, quae supra opinati sumus, Homerica carmina ter a Nestoridis servata esse videantur.

3) cf. Sengeb. diss. II, p. 27 sqq.

